



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XX. De eo quod supra 3. capite, Quod vero.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

mus, quod si aliqua causa alicui fuerit delegata, qui consanguineus illius sit, qui literas impetrauit, aut in eodem negotio aduocati officio functus, aut ex alia quacumque causa suspectus, huiusmodi delegatus potest non immerito recusari, quamuis appellatione remota fuerit negotium delegatum.

CAP. XIX. *Alexander III. Dunelmensi episcopo.*

Suggestum est auribus nostris, quod cum oppressi & grauati ad praesidium sedis apostolicae recurrunt, & appellatione facta iter arripiunt, aduersarii eorum, appellationem interpositam cognoscentes, nec ad praesentiam nostram accedunt, nec pro se responsalem transmittunt. Cum autem praesenserint eos redisse & literas nostras reportasse, in vocem appellationis prorumpunt, & iter ad nos veniendi arripiunt, vt sic eorum sollicitudinem, a quibus impetuntur, eludant. Verum quoniam nemini debet fraus sua patrocinari, & falce apostolici moderaminis sunt refecanda, quae in se vitium calliditatis & fraudis continere noscuntur: & nos super hoc consulenti tibi respondemus, quod si quis deprehensus fuerit hoc ex fraude vel malitia facere, eius appellationi non deferas, neque ob id causam tibi commissam sine congruo terminare postponas: quia decretalem epistolam, qua tales videntur muniri, non ad deprimendam cuiusquam iustitiam, sed ad remouendum iniustum grauamen nos fecisse cognoscas.

CAP. XX.

Idem Cantuariensi archiepiscopo & eius suffraganeis.

Relatum est auribus nostris, quod quidam sint in prouincia vestra, qui vxoribus propria auctoritate relictis, concubinis adhaerere non dubitant, & errorem suum ac temeritatem suam fouere ac tueri per appellationis obstaculum nituntur. Quoniam igitur officio nostrae sollicitudinis imminet prouidendum, ne appellationis obtentu in sua malitia perseverent: fraternitati vestrae, &c. quatenus si manifestum est, aliquos de prouincia vestra vxores suas sine rationabili causa dimisisse, & aliis adhaerisse, si commoniti vxores suas, concubinis abiectis, non receperint, propter appellationem, si quam ad errorem suum fouen-

ANNO
CHRISTI
1179.

dum interposuerunt, non prætermittatis, quin eos ad abiiciendas concubinas, & recipiendas vxores suas & maritali affectu tractandas, per excommunicationis sententiam compellatis.

CAP. XXI.

Idem Eboracensi archiepiscopo, & R. presbytero.

Ad præsentiam nostram R. presbytero veniente, episcopo Tusculano & P. sanctæ Susannæ cardinali, tuam & ipsius causam commisimus audiendam: qui ob excommunicationem tuam, licet non esset excommunicatus de iure, de facto tamen fecerunt eum absolui. Quia vero quod a fratribus nostris noscitur in hac parte constitutum, nolimus aliqua ratione mutare: fraternitati vestræ, &c. quatenus prædictum presbyterum pro eo quod post excommunicationem contra appellationem factam diuina cantauit, nullo modo attentetis inquietare, sed ad eum statum omni reductis appellatione cessante, in quo erant tempore appellationis ad sedem apostolicam factæ.

CAP. XXII. *Idem Carnotensi episcopo.*

Ex literis venerabilis fratris nostri Bathoniensis episcopi, & dilecti filii nostri V Vellensis decani accepimus, quod cum causam, quæ inter Giclericum præsentium latorem, & abbatissam de Helenostoue, & H. clericum super quodam beneficio de ecclesia de V Vestonenli suscepissent de mandato prædecessoris nostri I. felicitis memoriæ terminandam, de ipsa plenius cognouerint, sed pro decessu prædecessoris nostri eam reliquerunt, quamuis appellatione remota eis esset commissa, indecisam. Adiecit autem præfatus clericus, quod persona abbatissæ, vt sententiam impediret, & eum amplius pro sua voluntate grauaret, ad festum beati Petri proximo venturum, vocem appellationis emisit. Sed ipse ad festum inuentionis sanctæ Crucis proximo venturum, terminum coarctauit: infra quem nuntius abbatissæ clericum suum præueniens, ad dilectos filios nostros abbatem sancti Albani, & priorem de Denustaple, & archidiaconum Cicestrensem super iam dicta causa literas nostræ commissionis impetrauit. Quoniam igitur alienum est & ab ordine iuris, vt de dolo vel fraude quilibet com-